

& piè Deum colendi. Matth. 5. ubi Christus legem à corruptelis Pharisæorum vindicavit. Et nobis facem vitæ suæ præluxit, ut eum imitemur in vita nostra Phil. 2. (3.) Contra tenebras mortis Internæ & æternæ Damnationis, è quibus omnibus Christus nos liberavit. In hoc enim apparuit Filius Dei, ut opera Diaboli destrueret. 1. Joh. 3. 8.

Q. XIV. Ex vs. 6. Num Fides & Conscientia simul consistere possint?  
Resp. Quod non. Expressè hoc in loco scribit Johannes & dicit: *Sed dixerimus, quod societatem habemus cum eo &c.* Unde sic argumentari possum: Quicumque in tenebris ambulat, illi cum Deo nullam habent societatem, teste Joh. h. in l. At jam peccantes contra conscientiam in tenebris ambulat. E. Minorem ego sic probo: Quia ambulare in tenebris dicuntur illi, qui nec Christum Ducem mundi nòrunt, nec Sanctis ipsius præceptis obtemperant; sed in cœcitate mentis versantes, peccata contra conscientiam designant & opera tenebrarum faciunt. E. firma stat Conclusio. Vel sic argumentor: Quicumque nullam cum Deo habent societatem, ij verâ in Christum fide sunt destituti: Ratio, quia per fidem in societatem cum DEO pervenimus. Ephes. 3. At peccantes contra Conscientiam nullam cum Deo habent societatem, nam si scintillam fidei in se retinerent, utique via societatis ipsis non præcluderetur. E.

Obs. Peccata quæ fidem excutiunt & gratiam Dei evacuant, esse duplicis generis. (1.) Quædam fiunt *ἐκ παρορμήσεως* seu præoccupatione, h. e. celeres motus, quibus homo regeneratus facillimè antevertitur, antequam cognoverit: Talis fuit lapsus Petri, qui nunquam constituit & in animo suo proposuit sibi Christum negare; sed, captiosis astutiis & quæstiunculis Aulicorum Caiphæ præventus, fecit id, quod postea serè deploravit. Matth. 27. Tales sunt lapsus Sanctorum hominum, quorum meminit Paulus Gal. 6. 1. Et in his nullum quidem est peccandi propositum, accedit tamen Consensus, quem subitanei motus extorserunt. Talia E. peccata cum dono renascentiæ & verâ in Christum fide consistere queunt (2.) Quædam verò fiunt *ἐκ προαίρεσεως* seu prælectione, quæ sunt enormes illi excessus, qui committuntur non tantum à volentibus & scientibus; sed etiam cum destinato animi proposito & consilio, & hæc cum dono renascentiæ & salvâ fide stare nequeunt, nisi quis mundum cum immundo cohabitare posse affirmet, testante Apostolo Joh. h. in loco & Paulo Gal. 5. 4. *Christus vobis factus est ac-*  
*osus*